



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Dissertationes Juridico-Theologicæ De Jure, & Justitia**

**Karchne, Simon**

**Augustæ Vindelicorum ; [Graz], 1714**

§. VIII. Qualis superioris licentia Religiosis necessaria as licitè, aut valide  
illæso voto paupertatis operandum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40013**



## §. VIII.

*Qualis Superioris Licentia Religiosis necessaria ad licitè,  
aut validè illuso voto paupertatis Operandum.*

45. **E**X præmissis §. Superiore difficultas gravis oritur spectans præcisè ad statum Religiosum, an Religiosus citra gravem voti paupertatis violationem possit aliqua sine Licentia accipere, aut donare sciens Prælatus non negaturum Licentiam, si eam peteret, etsi displiceat modus sic accipiendi aut donandi, &c. affirmare videntur plures apud Lugo n. 56. quibus faver Less, lib. 2 c. 41. n. 79.

Dicendum est Religiosum accipientem, aut expendentem aliqua sine scitu Prælati ex præsumpta præcisè Licentia conditionata, seu quam petitam non denegaret non excusari à vitio paupertatis seu à peccato contra votum paupertatis ex genere suo mortali, imò Prælatus sub pari culpa obligatur non habere talem consensum ut Licentia non petita res usurpentur, sed regulariter debet esse invitus ita Lugo *Disput. 3. à n. 124.* Sanch. à n. 15. *Suar. cit. c. 11. n. 7.* Less, cit. & Gormaz tract. *de actibus humanis Disput. 5. à n. 206.* Probatur prima pars, quod ex praxi oppositæ sententiæ enervaretur Regularis observantia, & paupertas; nam si prudenter creditur Licentia non concedenda, stulte peteretur, ergo necesse est judicare prudenter & probabiliter concedendâ esse, sed pauca sunt, quæ non judicentur probabiliter concedenda à Superiore imediato aut

saltem mediato nempe à Generali aut Pontifice, aut hujus Nuntio si peterentur, ergo regulariter sine culpa saltem gravi contra paupertatem acciperentur, & expenderentur, hæc autem praxis enervat Regularem observantiam paupertatis.

Probatur pars secunda talem voluntatem sub mortali debet habere Prælatus, qualis est necessaria, ut non enervetur regularis observantia, & relaxetur votum paupertatis; sed ad hunc finem est necessaria voluntas improbens modum ex præsumpta præcisè voluntate conditionata acceptandi res oblatas, & expendendi ergo. Quare modus subditi operandi citra Licentiam ita potest displicere, ut ratione illius velit retinere totum jus in substantiam rei, talemque usum prohibere intendat, quantum potest, atque regulariter sic intendere debet in omni Religione disciplinata ut observant citati Doctores, regulariter inquam, quia si ex circumstantiis colligitur sic non fore invitum quoad modum, aut saltem non nisi leviter; tunc usus non foret contra substantiam rei sed ad summum contra modum (propter hunc autem præcisè non apparet grave peccatum Lugo n. 125.) imò aliquando nec contra modum, ut si nunc non sit accessus ad superiorem pro Licentia, & prudenter præsumo, quod non habeat

habeat repugnantem voluntatem, de qua plura lege apud Lugo *n.* sequente.

46. Dicendum igitur secundo ut Religiosus licitè quardam accipiat, aut expendat sine læsa paupertate, certum est non requiri expressam Prælati Licentiam, sed sufficere tacitam aut præsumptam actualiter (qualis est, quæ fundatur in consuetudine à Prælato scita nec improbata, cum improbari posset, censetur enim consentire per *numerum 44.* Lugo *n.* 123.) imo sufficere etiam præsumptam non præcisè conditionatam per *numerum priorem*, sed cum hoc addito, quod non solum rogatus daret Licentiam, sed quod nunc non habeat voluntatem omnino repugnantem, gravitèrque obligantem, quoties Licentia non petitur, & licet modus displiceat, nolit tamen in his circumstantiis esse graviter illicitam rei substantiam. Ita Lugo *n.* 125, in fine ex omnium sententia.

Acceptio enim, & datio similium est ex genere illo actionum, quæ ut liceant, non requiritur positiva voluntas Prælati, sed sufficit non esse repugnantem, & ut non sint mortaliter malæ, fa-

tis est, si non sit graviter invitus, ex hoc enim capite per *n.* 44. in fin. plures excusantur à restitutione, & à furto.

Quod si ab hoc exemplo ducas argumentum contra conclusionem primam est magna disparitas, quod invitus rei Dominus attendat solum ad utilitatem domus suæ, quæ regulariter non retardatur per hoc, quod sit solum invitus quoad modum displicentiæ non redundante in substantiam: Prælati autem debeat attendere non tantum ad proprium, sed maximè ad Religionis utile, hoc autem poscit displicentiæ circa modum accipiendi, & expendendi sine Licentia redundantem in substantiam rei ut probatum est.

Rursus contra partem secundam præsentis conclusionis nihil probat, quod Licentia conditionata non sufficiat ad audiendas Confessiones, ad assistendum matrimonio, &c., quia requiritur positiva voluntas Prælati concedentis jurisdictionem, secus in usu rerum sine Licentia ac ad evitandum peccatum furti, sed sufficit non esse positivè invitum Lugo *Disp. 21 n.* 45.



## §. IX

*Ad qualia & quanta possit se extendere Licentia Superioris, ne violetur votum paupertatis.*

47. **R**espondeo primò esse debere Licentiam validam & licitam: invalida erit extorta metu, aut precibus

valdè importunis Sanchez *lib. 7. c. 19. n. 17.* (ut si detur ad declinandas subditi murmuraciones) aut dolo Lugo *Disp. 3. n. 129.*